



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Decem media, quæ animam ad deuotionem excitant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

hominem habilem & promptum ad omnem virtutem efficit: animumque illius excitat, viamque facilem reddit ad omne bonum opus efficiendum, quantumvis arduum & difficile sit.

Ex hac definitione colligitur, quam necessaria sit ad orationem deuotio. Samson quamdiu capillos oblongos habuit, omnium hominum fortissimus fuit, at quando ijs muliebri astu priuatus fuit, æquè vt cæteri homines debilis & infirmus extitit: sic anima deuotione dotata fortissima est ad bonorum operum studia & exercitia, sine ipsa verò debilissima.

Decem media que animam ad deuotionem excitant.

Hæc planta, quam nunc adferimus, fructus profert, ex quorum *quibus medijs acquiritur deuotio.* esu deuotio acquiritur. Quisquis igitur hanc virtutem enosequi desiderat, decem fructuum genera ex hoc hortulo manducabit.

M 6 *Primum:*

Primum: Operibus misericordie cum corporalibus tum spiritualibus infudabit.

Secundò: Austeritatibus corporalibus carnem edornabit, vt cilicij, ciborum abſtinentia, inedia, flagrorum vſu, parcitate in victu, & duritie lecti.

Tertiò: Orationis ſtudio aſidue incumbet, & in ſanctis exercitijs conſtans perſeuerabit, cum loci & temporis diligenti, & vniformi obſeruatione.

Quartò: Orationibus Iaculatorijs ſæpe vtetur, quarum quafdam ad finem huius hortuli adnectemus: Hic autem fructus eſt admodum ſapidus, eò quod deuotionem generet, atque ad viam ſpiritualem orationis perambulandam excitet, animamque citiſſimè ad perfectionis faſtigium euehat: Et valdè accommodus eſt illis, quibus tantum temporis non ſuperſt, vt longis orationibus & meditationibus concipiendis intendere valeant.

Quintò: **DEVM** ſibi ſemper præſentem

sentem imaginabitur.

Sexto: Libros pios & spirituales, speciatim sacras literas, & pias meditationes de passione Dominica, frequenter legat.

Septimo: Solitudinem diliget, & quantum fieri potest sectabitur: hec enim sensuum dispersionem impedit, peccatorum occasiones tollit, & hominē ad seipsum à rebus sensibilibus auocat, soli que Deo intentum facit.

Octavo: Sensuum diligentem custodiam aget: præsertim oculorum, linguæ, gustatus & aurium, quia quæ per hos sensus ingrediuntur, pacem & stabilitatem cordis auferunt: quo fit, vt cum orationi se daturus est, collectus esse non possit, propter obiectorum menti se offerentium, ipsamque molestantium multitudinem, quæ per aures & linguam introierunt.

Nono: Cor à cogitationibus otiosis & vanis: ab effectibus & amoribus alienis, & à quibuscunque passionibus & commotionibus naturalibus

M 7 ralibus

278 HORTVS ORAT.
ralibus & inordinatis purum cu-
stodiet.

Decimò. Seruitium Dei & specia-
liter hanc orationis semitam, ani-
mo deliberato & forti aggredie-
tur: ita vt paratus sit omnia quæ ad
pretiosam hanc margaritam deu-
tionis cõsequendã necessaria sunt,
agere & pati, quantumuis ardua &
difficilia videantur.

De affectibus in oratione.

CAPVT XVII.

Secundæ plantæ nomen est Affe-
ctio. Quæ homini ad perfectio-
nem adipiscendam maximo adiu-
mento est. Dum videlicet orationi
intendit: atque Deo sub varijs for-
mis in oratione se præsentat.

Aliquando tanquam reum coram
Iudice se constituit, dicens. *Domine
miserere mei, & ne respicias multitudi-
nem iniquitatum mearum.* Et cum S. Iob.
Noli me condemnare. Vel cum S. Da-
uide. *Non intres in iudicium cum seruo
tuo Domine.*

Psal. 142.

Ali-